



## **Sancti Hieronymi Stridoniensis Opervm, Tomi ...**

Continens Commentaria Svper Psalmos; Quibus accessit Psalterium ipsum ex Hebraico ab ipso Hieronymo Latinitate donatum ... Mvltis In Locis Avcta

...

**Hieronymus, Sophronius Eusebius**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

Gregorio XIII. Pont. Max. Marianvs Victorivs Reatinvs, Episcopvs Amerinvs.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75125)





GREGORIO XIII, PONT.  
MAX. MARIANVS VICTORIVS  
REATINVS, EPISCOPVS AMERINVS.

**H** DIDERAM iam ex mandato Pij IV. Pont. Max. à multis erroribus expurgata tria prima D. Hieronymi volumina: cum morte illo ab humanis rebus subtracto, Pius V. qui ei in Pontificatu summo successit, ut cetera illius opera à mendis expurgarem, mandavit. Quam in re cum diu multumque per aliquot annos laborarim, & tres alios sanctissimi viri tomos, quibus eius Commentarij continentur, absoluerim: ille quoque ad perennem, felicemque alterius seculi vitam vocatus, commigravit. Cuius obitum ægerime profectò boni omnes tulissent, nisi diuino quodam afflatu, & vno cunctorum Cardinalium consensu, statim Tu (quod nemini alij antea contigit) veluti de illius manu summam rerum suscepturus, & tamquam magnus alter GREGORIVS Ecclesie subuenturus, accessisses. Cuius quantæ semper fuerint, quantæque in posterum ad profectum fidei futuræ vigiliæ sint, non tam nomine ipso prætereferens, quam rebus ipsis ostendis. Sperant enim omnes per te restituendam fore Ecclesiam, & ad eam vitæ formam qua primi illius GREGORII tempore fuerat (quo quidem præstantius, felicisque nullum legitur) redigendam. Quam in spem cum alij multis experimentis, quæ de virtute, prudentia, doctrina, & bonitate tua, cognita & explorata habent, deuenerint: Ipse certè ex congressibus illis quos in emendando Gratiani Decreto sepe sepius simul habuimus, maximè omnium adducor. Didici enim ex his, quantum probitate, & iudicio cunctis præstes, quantumue ingenio ceteris antecellas. Diuina igitur quadam bonitate factum est, ut voluntatem animi mei erga Sanctitatem tuam maximè propensam, ostendere aliquo modo nunc possem. Super sunt enim adhuc tria alia volumina, inter quæ est hoc septimum Commentariorum in Psalmos; quod veluti alienum à Hieronymo, falso quidam amouerant: & amplius (quod omnium maximi facio) index, ingenti labore, maximisque vigiliis ex Hieronymi doctrina à me collectus: quæ Beatitudini tuæ dicare possum. Postrema autem omnium licet hæc sint, & aliena à Hieronymo opera aliqua inter se admixta comprehendant, omnem tamen Hieronymi doctrinam indice (veluti Homerica illa nux Iliadem) in fine breuiter collectam continent. Cuius indicis quantæ futuræ utilitas sit, ex ipso facile omnes agnoscent: quippe cum non solum indicis, sed etiam adnotationum vicem præstet. Ego certè non absque diuina prouidentia factum reor, ut nouem volumina operum D. Hieronymi, computatis duobus, quæ illi adscripta sunt, tres per ordinem summi Pontifices æque per me emendata susceperint: Primus tria prima, Medius tria media, Postremus tria postrema. Quæ de re còlatior ego nunc sum, quòd & ad operis finem peruenisse me video: & postrema illi dicantur, qui me postremò laborantem, ex magnitudine beneficentiæ, & liberalitatis suæ, quæ cunctos completitur, & à laboribus eximere, & vltimos vitæ meæ annos, etate iam, & valetudine grauescentes, sustentare, iuuareque præsidio aliquo poterit. Deus opt. Max. Sanctitatem tuam ad totius Ecclesie utilitatem diu nobis seruet incolumem.